



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De pr[a]estigiis apud Caras post interitum eius deprehensis. Cap. XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

THEODOR. HISTOR.

cultum & desertum copias traduxit. Ibi milites non modo potione & cibo, verum etiã ducibus itineris destituti, atque in loco etiam solitario oberrantes, cœpere tandẽ sui imperatoris inscitiam perspicere. Deinde cum quereretur & ingemiscerent, ex improviso eũ vulneratum offendunt, rabie contra conditorem suum furentem, Martem bellicosum ipsi, vti promiserat, auxilium minime tulisse: Appolinem falsa vaticinatum esse: Iouem denique fulminantem non in suum interfectorem fulmen torsisse. Itaque qui antea minas insolenter iactauerat, iam miserẽ humi proiectus iacuit. Attamen qui debitam illam plagam ei imposuerit, ad hodiernum vsque diem à nemine pro certo cognitum est. Nam alij à quodam sensum oculorum effugiẽte incussam, alij quendam ex Ismaelitis, qui Nomades appellantur, eam inflixisse, alij à milite, qui famis & solitudinis molestias ægrè ferebat, illatam dicunt. Verum siue homo, siue angelus ensẽ in eo infixit, constat sanè eum, qui facinus commisit, diuinæ voluntatis administrum fuisse. Ferunt porro ipsum tyrannum, simul ac plagam acceperat, manum protinus sanguine impleuisse, illumque proiecisse in aerem, ac dixisse: Vicisti Galilæe, & simul tum confessum esse victoriam, & blasphemiam (adeo enim à mente abalienatus erat) in Deum impudenter locutum.

*De prestigijs apud Caras post interitum eius
deprehensis. CAP. XXI.*

Post huius tyranni cædem, fraudulentæ præstigiarum suarum machinæ manifestò deprehensæ sunt. Nam cum stolidus ille per Caras urbem, quæ etiam adhuc multas impietatis reliquias retinet, iter faceret, relicta ad læuam Edeßa, vtpote pietate & vero Dei cultu præclare ornata, ingressus in delubrum, quod apud impios in maximo honore erat, iubet portas, postquam in eo nefanda quædam mysteria cum sceleris sui fociis obiisset, nõ obserari solum, verum etiam obsignari, & milites quosdam eas assidue obseruare, ne quisquam donec ipse reuenteretur, intraret. At postquam nuntiatum erat eum esse mortuum, & pium imperatorem impio successisse, quidam in illud delubrum introeũtes,

introeuntes, admirabilem scilicet huius imperatoris fortitudinem, sapientiam, addo etiam pietatem, perspicuè deprehendunt. Nam vident mulierculam capillo suspensam, manibus extensis, cuius ventre dissecto, sceleratus iste forsitan ex eius iecore diuinavit se victoriam à Persis reportaturum. Atque hoc quidem scelus Caris deprehensum est.

*De capitibus in Antiochiæ palatio inuentis,
& publicis Antiochiæ Choræis ac
tripudiis. CAP. XXII.*

Porrò Antiochiæ dicitur multas capsas in palatio re-
fertas hominum capitibus, multosque puteos cadaue-
ribus humanis repletos. Eiusmodi namque facinora
execrabilium deorum poscebat disciplina. Vrbs verò An-
tiochia, vt primum tyrannum trucidatum intellexit, epula
publica, crebrosque conuentus celebrare: & non in eccle-
siis solum & martyrum monumentis tripudiare, verum
etiam in theatris crucis prædicare victoriam, & tyranni va-
ticia irrisioni & ludibrio habere cœpit. Voces autè An-
tiochenorum contra eum emissas, ponam equidem hoc lo-
co, quò earum memoria possit ad posteritatem remanere.
Nam vno ore conclamarunt omnes, vbi tua ò Maxime, ò
stolide, vaticinia: Vicit Deus & Christus eius. Per id
enim temporis erat vir quidam nomine Maximus, qui ta-
met si philosophum se esse profitebatur, erat tamen reuera
magus, futuraque se posse prædicere iactitabat. Antioche-
nos autem duorum maximorum apostolorum Petri & Pauli
doctrina imbutos, & ardenti amore omnium dominum ac
seruatorem complexos, Iulianum perpetuò, cuius memoria
hominum animis meritò excidere debebat, detestatos esse,
Iulianus ipse locuples testis est: qui ob eam causam librum
aduersum eos edidit, & *μισοπώγωνα*, id est, Barbæ odiū,
inscripsit. Sed cū isto Antiochenorū tripudio pro morte
Iuliani tyranni factò finem huic libro imponam. Nam ne-
fas planè puto impium tyrannum in eundem sermonè cum
pio imperatore concludere.

FINIS TERTII LIBRI.

THEODO-